

1781 2
THESES
DE
RECOGNITIONIS DOCVMEN-
TORVM RECVSATIONE

QVAS
PRAESIDE
D. ERNST GOTTFRIED CHRISTIANO
K L V G E L

IVR. SAX. P. P. IVDICII PROVINCIALIS IN LVSA-
TIAE INFERIORIS MARCHIONATV ET FACVLTATIS
IVRIDICAE WITTENBERGENSIS ASSESSORE

DIE XIX. MARTII A. O. R. MDCCCLXXXI.

H. L. Q. C.

DEFENSVRVS EST

IOANNES CHRISTOPH SEIFFERT
NEVSTADIO AD ORLAM VARISCUS.

WITTENBERGAE,
LITTERIS ADAMI CHRISTIANI CHARISIL

I.

Exceptio, documenta ad causam controuer-
sam non pertinere, a recognitione vix li-
berat.

Haec exceptio, quae his etiam verbis exprimitur: exceptio irre-
leuantium documentorum, exceptio impertinentium documento-
rum; saepius quidem, sed sine effectu, allegatur. Scribit autem
Carpzov. in *Processu tit. XIV. art. III. n. 61.* quidquid de re-
cognitione ac iurata diffessione documentorum hactenus dictum
est, id aliter acceptum nolumus, quam de iis scripturis et instru-
mentis, quibus intentio producentis doceri ac demonstrari potest,
quia effectus recognitionis aut diffessionis iuratae in eo potissimum
consistit, ut pars aduersa, contra quam documenta producuntur,
fateatur, vera esse vel non eorum contenta: sed quid opus est
anxius in veritatem documentorum inquirere, si nihil ex iis pro-
betur, improbat namque iura actus frustratorios *l. 3. pr. ff. de*
iureiur. Haec ille, quae Zieglerus in suo *commentario ad verba*
O. P. S. tit. XXV. quo loco praescribitur, ut productus instru-
menta ab aduersario producta recognoscantur, etiam si ab ipso nec
scripta nec signata sint, wenn sie gleich nicht seine Hand und Sie-
gel, bis comprehendit paucioribus: dum tamen inferri aliquid ex
talibus instrumentis contra aduersarium possit: alias enim inuti-
lis plane esset recognitio. Haec omnino vera sunt, et stricte
dubio procul obliteranda, siquidem de iureiurando diffessionis
praestando queratur. Iuris enim iurandi sanctitas postulat, vt
si nihil profus commodi inde percipi queat, id non iubeamus.
Hanc propter causam fanicum est in *Ord. Proc. Sax. Vet. tit.*
XXV. §. 2. vt prius, quam exigatur iuramento confirmanda
documenti negatio, iudex ad hoc attendat animum, num instru-
men-

mentum, si forte verum sit, aduersus illum, qui iuraturus esset, probare possit, eumque, si, illud nequaquam ei obfuturum, animaduertat, iureiurando, vano atque plane inani, absoluat. Non tamen possunt haec accommodari ad eum casum, cum nulla dif-
fidenti sit causa. Nam, qui, suscepturnum se iusurandum, non profitetur, disputabit forsan multa, numquid ad rem praesen-
tem instrumenta facere possint: sed alter aliis vteretur argumentis,
quibus, ea reiicenda non esse, demonstraret, quae disceptatio, nisi
tota causa perspecta, plerumque difficulter componitur. Ve-
rum terminus productionis ex mente legum, non, ut quantitas
eruatur probationis, praefluitur. Etenim in eo tantum illorum,
quae quasi externa sunt in probandi mediis, habetur ratio. Qui
termini productionis finis, quod ad documenta attinet, perspi-
cie, nisi omnia fallunt, apparet ex verbis *O. P. S. Vet. tit. XXV.*
§. 1. alle briefliche Urkunden, welche gerichtlich producirt, soll das
Parth, wider welche sie eingebraucht, auf vorgehende von dem *Pro-*
ducenten ausgebrachte Ladung, besichtigen, und seine Einrede, ob
er darvoide sichtbarliche Argwohnlichkeit, Mangel an Siegeln, oder
dergleichen hätte, alsbald darauf anzeigen. Haec ipsissima verba
etiam sunt in *Ord. Cur. Monif. P. II.* tit. *XXVI.* §. *vlt.* de-
scripta ab Hiltrop in *proc. P. III.* tit. *XI.* rubr. de forma n. 16.
item in *Ord. Prot. Altenb. Vet. P. I. cap. X.* §. *26.* & in *Ord.*
Cur. Brunsvic. tit. *LIV.* §. und wenn also. Eadem fere in *Ord.*
Prot. Anhalt. tit. *X.* et alii aliorum territoriorum legibus. Quae
cum ita sint, quicquid de eo, quae, quibus usus est probaturus,
argumentorum sit vis, disputari potest, in concertationem causae
principalem reicitur. Quid enim damni contrahet, qui vera esse
fatetur, ex quibus nulla iuri metuenda est iactura. Ex quo sit,
vt, allegationibus impertinentiae, quam vocant, documentorum
posthabitatis, sententia producitus ea peremptorie iubeatur recogno-
scere, idque ne addita quidem ista formula: *falso iure imperti-*
nentium; de qua Ludouici *Einleitung zum Civil-Proces. Cap.*
XV. §. *21.* videatur, aut peremptorie producto iamiam vocato,
in locum recognitorum ea assumantur. Et haec quidem rerum
perpetuo similiter iudicatarum auctoritate satis firmantur. Ve-

4

rumtamen iudicem non puto peccare, qui, cum manifestum sit, instrumentum quoddam a causa controuersa plane alienum esse, productum necessitate id recognoscendi soluit. Hoc enim pacto videtur aliquantum lis contrahi, quippe de hoc deinde in principali disputatione amplius altercari partes necesse non habebunt, is autem, cui totam definiendi causam datum est negotium, de forma eius et virtute parum sollicitus, maiorem in reliqua poterit impendere operam atque attentionem. Et hoc quidem in Saxonia Electorali omni carere videtur dubio, postquam vetamur per *Ord. Proc. Rec. Tit. XXV. §. 2.* vti documentis, quae, et si recognita essent, nihil tamen probarent, wie der Beweis- oder Gegenbeweisführer für Production impertinenter Documente, als da sind ic. und solche Schriften, die, wenn sie gleich recognoscirt, doch an sich nichts probiren, sich zu hüten hat, und der Product oder Reproduct mit deren Recognition gänzlich zu verschonen. Verum enim vero ipse, qui saepius hunc laudau locum, hoc, fator, quoties a me factum est, frustra feci. Ratio autem huius rei in ea, de qua iam supra actum, posita est difficultate.

II.

Productus recognitionem, quae non subscriptis, instrumentorum non potest detrectare.

Inter caeteras, quae ab his, a quibus recognitio documentorum postulatur, opponuntur, exceptiones, cum probatus eiusmodi vtratur instrumentis, in quibus aduersarii, producti, nomen non inuenitur, quae aliena appellari solent, vix illa saepius occurrit, hac: nescire se scripturam eius, cuius nomen subscriptum est: Product fennet N. N. Hand nicht. Neque tamen, cum sententia de hac fertur exceptione, recognitione productus releuat, quin potius ea per sententiam reiici soleat exceptio. Audiamus iterum patrem Carpzouium in *Proc. tit. XIV. art. II. n. 54. & 58.* quondam fuit ambiguum, an etiam documenta manu alterius scripta & confecta contra aliquem producta recognosci debeant? Nec enim legibus ullibi cautum reperitur, quod quis alienam scripturam co-

gatur

❧ ♫ ❧

5

gatur recognoscere, sed solummodo de propria scriptura id est prouisum, *avth. contra qui propriam C. de non num. pecun.* Attamen hodierna fori obseruantia edocti tuto asserimus scripturæ etiam alienæ recognitionem iniungendam esse ei, contra quem producitur. Nec liberare se valet pars aduersa a recognitione, si dicat, scripturæ ac sigilli notitiam se non habere. Nolunt tamen hoc aliter intelligi Hartm. Pistoris *obseru. 196.* Nicolai in *proc. cap. LIII. n. 9.* et aliis, quam si probabiliter, productum nouisse modum scribendi eius, cuius nomen in instrumento probationis causa edito legitur, possit praesumti, quorsum pertinet, si, patrem eius, filium, fratrem, vel alium, quo cum familiariter viuit, scripsisse documentum, postulans recognitionem affirmet. Etenim, si nulla adsit eiusmodi praefumtio, neque testibus veritas scripturæ explorari possit, iure quidem communi ad litterarum comparationem, quae praesertim huius defectus praefumtionis causa permitta videtur fuisse, tanquam remedium subsidiarium, configiendum est, Hiltrop. in *proc. P. III. tit. XXVI. no. 7.* Nicolai in *proc. cap. LIII. n. 14.* Ruland de *Commissar. P. II. L. V. cap. 38. lit. c.* Grube in *proc. cap. XXIV. membr. IV. no. 14.* quod de iure Saxonico antiquiore in primis affirmat Berlich in *concl. practic. concl. XLIV. no. 42. 43.* Verum illam quoque, quam ex Nicolai et Pistoris libris addidi, exceptionem tantum ex iure communi fieri, cum Brunnemann. in *proc. Cap. XIX. no. 33.* Stryck. in *introduc. ad prax. Cap. XIX. §. 7.* et Krauf. in *proc. L.I. Cap. III. Sect. III. §. 13.* his contendunt: recognitio iure communi saltim obtinet, quoties de propria recognoscens manu agitur, vel de illa, cuius notitiam probabiliter habere censetur: et Carpz. quoque *loc. all. no. 6.* negat, Pistoris opinionem dicasteriis placuisse. Quippe iure Saxonico plane aliud obsernatur. Non enim solum in *Ord. Proc. V et. tit. XXV. §. 2.* constitutum, aliena quoque documenta esse recognoscenda, nulla addita exceptione: daß ein jeder die brieslichen Urkunden, welche sein Gegenthil wider ihn producirt, wenn sie gleich nicht seine Hand und Siegel haben, zu recognoscieren angehalten wird, sed etiam antiquitus hoc in his terris in usu fuit, liquidem ipse Legislator eo-

❧ ❧ ❧

dem loco de huius rei consuetudine testatur: weil es auch in den Gerichten unserer Lande also herbracht. Idque ab antiquo suisse receptum, et Carpzouii in illis ipsis, quae supra excitaui, verbis, et Berlichii in *couclus.* *XLIV.* no. 32. et aliorum tradita docent. Sed durum nimis videri poterat, vt quis eam scripturam, quam plane non nouit, vt proinde eius veritatem neque affirmare neque negare possit, nesciens, quo modo literas is duxerit, cuius nomen subscriptum inuenitur in instrumento producio, tamen aut recognoscere siue affirmare, aut iurato diffiteri siue negare cogetur. Verum enim vero duritia haec, cuius ista prae se fert consuetudo Saxonum speciem, tanta non fuit, vt periculum ex illa causa cadendi producio impenderet. Sufficiebat enim, si ignorantiam scripturae iureiurando confirmaret, formula: daß er weder Hand noch Siegel ferne; quod pro iurata diffessione habitum fuit. Carpzou. in *proc. tit. XIV.* art. II, no. 58. Nicolai in *proc. Cap. LIII.* no. 9. Stryck, *introduc.* ad *prax.* *Cap. XIX.* §. 7. Et hoc quidem ipsa *Ord. Pr. Sax.* *Vet. tit. XXV.* §. 2. confirmare videtur, cuius verba ita fluunt: zu recognosciren oder eydlich zu diffitiren, daß er nemlich weder Hand noch Siegel ferne, angehalten wird. Sed in sequentibus temporibus in eo solo, vt de ignorantia tantum iuretur, non subsisterunt iuris interpretes, qui poties contenderunt, negantem etiam de eo, quid de veritate documenti credat, iurare debere. Ziegler in *comment. ad O. P. S. tit. XXV.* *ad verba laudata:* periculoso est, scribit, tale iuramentum, si folium id iuret, daß er weder Hand noch Siegel ferne, et hinc addendum videtur: daß er es auch vor kein beglaubt Original halte, quam formulam repetit ex Scabinorum Wittenbergensium libris Berger. in *suppl. ad El. dist. for. P. I.* pag. 295. Subiicit Zieglerus aliam a Scabinis Lipsiensibus probatam: daß er nicht glaube noch dasfür halte, daß solcher (Brief) von demjenigen, der ihn ausgesertigt haben soll, unterschrieben, und richtig, sondern ein falsch Document sei. Eadem tradiit Riuin, *enunc. 41. ad tit. XXV.* *O. P. S.* addita formula iuris iurandi, quam Senatus Appellacionum Saxonicus praescriperat: daß er glaube und gewiß dasfür halte, daß die sub no. 2. 3. producrite Documente G. C. von H. Hand und Siegel

Siegel nicht seyn. Et is confessionis alienorum documentorum modus legitimus factus est per *Ord. Proc. Sax. Rec. tit. XXV.* §. 4. Qua lege cum simul abiurandum sit mandatum scribendi ab eo, cuius nomen in instrumento legitur, datum, rariores deinde factae sunt alienorum documentorum confessiones. Perdifficiliter enim internoscimus aliorum scripturam. Multo autem difficilius est ei, cui religiosa adseveratio iusus non est, iusurandum, se non credere, illum, cuius nomen inscriptum est instrumento, ut alius hoc subscrivat, iussisse.

III.

Eorum documentorum recognitionem, quae subscriptione carent, merito, si regulam sequimur, declinamus.

Scripturam, cui scribens nomen suum non adiecit, nihil valere, ne recognitam quidem, Berlich. *Cont. XLIV.* no. 13. docet. Necessariam autem esse subscriptionem, manifestum est, siquidem ex subscriptione instrumentum robur accipit, ita, vt, etiamsi reliqua omnia ab alio scripta sint, is tamen, qui subscriptis nomen suum, ea approbase, et, quae continet scriptura, voluisse credatur. *L. 9. §. 3. D. de iur. dot. Masicard. de probat. conel. 294. n. 26.* Meuius *P. V. decif. quir. no. 4.* Richter *Vol. II. conf. 304. no. 2.* Quam ob causam scriptura, quae caret nomine et cognomine scribentis, nihil ad aliquid probandum facere potest, vel, ut scribit Ruland. *de commiss. P. II. L. V. cap. XIV.* no. 10. cum aliis ab eo laudatis, ei non creditur. Quod in Saxonia non minus obtinet, quamvis in lege, qua forma iudiciorum constituitur, expressis verbis de eiusmodi instrumentis nihil inueniatur praescriptum. Etenim, cum instrumenta Notarii, deficiente subscriptione, fidem rei gestae non faciant, Böhmer. *iur. digest. L. XXII. tit. IV. §. 4.* Struv. *Synt. iur. civ. exerc. XXVIII. th. 29.* et ne scripta quidem iudicialia, quae tamen alias plene probant, si non sunt subscripta, sufficiant ad probandum, Leyser *iud. ad Pand. Sp. LXXI. med. 10.* saltim, paucis, in quibus mos receptus defecit.

❧ ❧ ❧

Etum subscriptionis fraudi nobis esse non finit, exceptis, apud nos per Ord. Proc. Sax. Rec. tit. II. §. 6. quod ante Ord. Rec. etiam obseruatum fuisse, Martini in *comm. ad Ord. Proc. Sax. tit. II.* §. 2. no. 74. sententia a Fac. Iur. Witt. lata confirmat, multo magis priuata inutilia sunt documenta, in quibus deficit subscriptio. Quapropter merito, talibus editis, illum, a quo postulabatur recognitio, dicasteria saepissime ea relevarunt. Hoc tamen ita non est accipendum, ac si eiusmodi instrumenta nullo vnuquam modo aliquid probent. Non enim solum possunt adminiculum praebere, si is, qui iisdem ad demonstrandam rem gestam vtitur, de eo ius deferat iurandum, hunc, cuius manu confectum documentum contendit; illud vere scripsisse: sed etiam a regula potest aliquando, si res, quae circumstant, hoc credantur postulare, iudex discedere. Nuperime Summi Appellationum Senatus Eleitoralis sententia quidam productus, annotationem non subscriptam quidem, scriptam tamen ab eo, a quo eam exarata aiebat producens, recognoscere, sub poena recogniti iussus est, cum alia instrumenta simul producta, coniuncta cum his non subscriptis, excipientem reum, is enim produxerat, viderentur iuuare. Deinde hoc quoque observandum, non adeo ad legitimam instrumentorum priuatorum dispositionem pertinere subscriptionem, vt necessario nomen scribentis in fine ipsorum positum esse debeat, eaque neglecta forma, fide destituantur. Recte enim Ruland *de commiss. P. II. L. V. cap. XIV. no. 10.* an vero, scribit, nomen hoc a principio, an vero in fine comprehensum legatur, parum refert. Addo, an in medio. Nam, si in tota scriptura eius nomen, a quo vel cuius iussu aut precibus instrumentum confectionum dicitur, expressum non fuerit, neque, cuius nomine exarata sit, appareat, duntaxat id inutile est. Carpz. in *proc. tit. XIV. art. II.* no. 41. et in *Repons. L. III. resp. LXXXI. n. 20. seq.* Quamobrem, si nomen scribentis in aliqua parte instrumenti legatur, quaecunque illa sit, illud reuicere, cum aequitate minus conueniret. Quid igitur dicendum esset, si tale proferatur chirographum: Johann Stollmann hat mir 20. Thaler geliehen, das schreibe ich Adam Pfugshaar, und die soll er zu Weihnachten wieder kriegen.

Bind-

6 7 8

Bindorf 1780. den 20. May. Procul dubio est recognoscendum. Apparet enim, Stollmann esse creditorem, Pfugshaar debitorem. Constat de contractu et quantitate debiti. Quin memini executium ex tali scripto, in quo nomen debitoris medium obtinuerat locum, admissile procelsum Ordinem Iurisconf. Wittenberg. Neque ambigendum est, in bilateralis contractu etiam, utroque contrahentium nomine in medio instrumenti posito, nulla addita subscriptione, si eterque, qui contraxit, suum nomen scripsit aut scribere alium iussit, scripturae eandem vim esse, quam si subscriptio accessisset. Adde Brunnum. in *decis. cent. I. dec. V.*
no. 2.

IV.

Quo pro se vslus est, qui reprobatur, eius documenti ab aduersario producti recognitionem non potest denegare.

Fiant instrumenta per productionem communia, ut deinde vtrique parti et profint, et noceant. Quapropter, si is, qui probare iussus est, nonnullius vslus sit ad probandum articulos probandi causa compositos, ne opus quidem est, vt alter, contra quem edita sunt, cum, sibi quoque in aliqua parte fore profutura, animaduertit, ea in reprobatoriorum articulorum libello nominet, siquidem ei ipso iure prosunt. Berger in *Oeconomia Iuris Civilis. L. IV. tit. XXIV. th. XIV. num. II. not. u. et in El. dist. for. tit. XXV. obs. III. not. 7.* Dornperger *sunt. de probation. L. I. cap. 5.* Coler *de proc. execut. P. IV. cap. I. no. 88. sequ.* Iam olim Baldus quoque *ad L. 5. C. de eiusdem docuit, quando ex uno eodemque instrumento descendit et actio et exceptio, statim natam esse exceptionem, ut nata est actio.* Contrarium quidem videtur affirmare Riuin. in *enarrac. i. ad tit. O. P. XXV.* qui, documenta necessario esse reproducenda, contendit. Sed, quod ipsa eius verba monstrant, de eo solo agit, si producta essent tantum in utilibus, cœu vocant, pafibus, (quod ne quidem semper permittitur) aduersarius autem vti vellet reliquis, quae in iis comprehensa sunt, eum, qui edidit,

B

non



non iuuantibus. Certe iure Saxonico per *O. Pr. Ret. tit. XXIV.*
 §. 2. qua reuocatione prohibetur is, qui usurum se documentis
 professus erat, ex sola inductione et copiarum productione, quae
 fit intra fatale tempus probationi inchoandae destinatum, fiunt
 communia. Ex quo non potest non id quoque duci, horum do-
 cumentorum, cum reprobatur ea in reprobatoriis articulis lau-
 dauerit, recognitionem reproductum declinare nunquam posse,
 etiamsi exceptionibus, alias legitimis, se credat defendi. Et haec
 quidem ratione producentis certa sunt. Verum enim vero, num
 de producente quoque sint affirmando, dubitandum forte nobis
 est propterea, quod fauor maior rei, quam actoris sit. Species
 autem rei subiecta haec est. Actor in probatoriis articulis quod-
 dam instrumentum probandi causa nominauit, quod inducere ap-
 pellamus. Antequam vero dies prosequenda probationis siue pro-
 ductionis veniret, reus offert reprobatoriis articulos; et in iis eo-
 dem vtitur documento. Iam quaeritur, vtrum, cum ad recogno-
 scendum citatus in termino productionis, quem iudex probationis
 ab actore peragendae causa constituerat, reus possit denegare re-
 cognitionem ex iustis causis, quae alias agnitione relevant. Meri-
 to autem, his eum tueri se posse exceptionibus, negatur, quando-
 quidem, qui ipse vtitur instrumento, illud reprobare, si factum
 regula metitur, non potest, quantumvis causae reprobandi ius-
 tiae videantur. Quapropter, cum anno praeterito lis eiusmodi ab
 Ordine ICtor. Wittenb. decidenda esset, rejecta exceptione rei, do-
 cumentum pro recognito habitum fuit. Et iure quidem Saxonico
 expressa legis supra laudatae verba nos, alia opinari vetant. Sed
 iure etiam communii eandem sententiam iustam esse, ex iis, quae
 iam proposita sunt, abunde puto liquere.

V.

Citatus dilatorie contumax non potest, dein-
 de peremtorie vocatus, denegare recognitio-
 nem, quamuis, hoc fieri, sententia non iusse-
 rint,

rint, qui eām de actis in dilatorio termino tul-
erunt.

Historiolam narrabo aliam. In Lusatia quidam actor variis usus erat instrumentis, ex quibus argumenta ad probandum duxerat. Die ad agnoscendum instrumenta praefinito, reus multa excipiebat. Partes disceptabant, et mittebantur deinde acta ad Iurisconsultorum Ordinem. Sed de unius instrumenti productione, quam vocamus, reali non certo constabat. Itaque sententia mense Apr. 1778. concepta ferebatur, in qua, praemissis aliis de rite facta recognitione, haec continebantur: *das sub no. 5. aber ist Beklagter sub poena recogniti zu recognoscieren, sowohl Kläger das Beweis-Document sub. no. 6. binnen Sächsischer Frist bey dessen Verlust annoch in originali zu produciren, oder, daß solches bereits erfolgt, in ebenmäßiger Frist beglaubte Nachricht zu den Actien zu schaffen schuldig.* His igitur non iubebatur reus, posterius recognoscere. Actor, postquam sententia in rem transferat iudicatum, officio suo, illo producto, satisfaciens, rogabat iudicem, vt reum id, vna cum isto, cui nota 5. imposita erat, recognoscere sub poena recogniti iuberet. Adsentiebatur iudex rogationi, et peremtorie, vt recognosceret, reum in ius vocabat. Hic itaque obuertebat actori exceptionem, praeter sententiam recognitionem postulari. Ea productionem solam, non recognitionem impetrari. Quae, cum res iudicata sit, nequeat in sensum detorqueri sibi damnosum. Iudex vero, spretis his exceptionibus, recognitionem in euentum aduersum a reo peractam, actis non iterum transmissis, suo approbat decreto. Vtraque pars sententiam hanc accipiebat. Bonum consilium. Evidem, iudicem potuisse in hac causa ad agnoscendum instrumentum, etiam non praeceunte sententia, reum vocare peremtorie, existimo, quamvis non negem, rectius factum fuille, si sententia, reum ad agnoscendum esse obstrictum, mandato productionis per modum conditionis adiecto, fuisset definitum. Nam potest et debet iudex, vel his, qui litigant, non perentibus, per officium suum iubere recognitionem, ne fiat producio frustra, Schwendendorfer ad Fibigii Proc. p. m. 252. quod argu-



argumentum latius, additis rationibus, hac in primis, in productione tacitum inesse recognitionis desiderium, prosecutus est Carpzov. in *proc. tit. XIV. art. II. no. 12. seq.* Quodsi iudex hoc facere potest non rogatus, numquid dubitabimus, quia sit eadem ipsius, actore reoue petente, potestas. Verumtamen Riinus in *enunt. 21. ad tit. O. P. S. XXIV.* in contrarias ire videtur partes, his suam demonstrans sententiam: pro recognitis haberi nequeunt documenta, etiam si quis sub hoc praetudicio citatus fuerit, nisi praecesserit decretum vel sententia, cui haec comminatio: sub pena recogniti, fuit inserta. Haec nisi, ut opinor, ita intelligenda sunt, primam citationem, quae dilatorie fieri debebat eo iure, ex quo Riuni liber explicandus est, peremptorie conscriptam inutilem esse ad poenam contumaciae irrogandam, non video veram huius enunciati rationem. Quid, quod index in ius vocans ipso facto videtur decreuisse. Praeterea dilatorie iam citatus potuit exceptiones ad effugendum recognitionem aptas in primo termino exponere, quin, hoc ipsum faciendi potestas ut ei fiat, dilatorie citatur. Quamobrem, peremptorie deinceps citatus, nequit, quasi non satis sit auditus, conqueri. Imo alias non est incertum, quod attinet ad secundum terminum, ubi is quidem permittitur, cum, qui peremptorie vocatus est, quibus id, quod per citationem est agendum, auertat, cadere exceptionibus. Griebner. in *proc. L. I. Cap. II. Sec. V. §. 2.*



Wittenberg, Diss., 1781-82




f

sl.

✓ Dn 8



B.I.G.



THESES

DE

RECOGNITIONIS DOCVMEN- TORVM RECVSATIONE

1781
QVAS

P R A E S I D E

D. ERNST GOTTFRIED CHRISTIANO
K L V G E L

IVR. SAX. P. P. IVDICII PROVINCIALIS IN LVSA-
TIAE INFERIORIS MARCHIONATV ET FACVLTATIS
IVRIDICAE WITTENBERGENSIS ASSESSORE

DIE XIX. MARTII A. O. R. MDCCCLXXXI.

H. L. Q. C.

DEFENSVRVS EST

IOANNES CHRISTOPH SEIFFERT
NEVSTADIO AD ORLAM VARISCVS.

WITTENBERGAE,

LITTERIS ADAMI CHRISTIANI CHARISIL.